Quaestio Medica

Cardinalitiis excutienda Disputationibus, In Scholis Medicorum, die Jovis 3a Martii,

Clarissimo viro D. Lazaro Chenot D. M. moderatore sapientiss:

An Epilepsiae febris superveniens Curatio?

Cerebrum facultatis principis sedes ac voluntariae actionis principium, quantitate, figura, legitimaque constructione praeditum, interioribus cellulis, seu spirituum animalium sensui et motui dicatorum receptaculis ornatur. Cui ex humoris benignioris, multiplici vasorum circuitu elaborati affluxu ad alimoniam: sic et sequioris ad obstructionem et morborum generationem contingit. Horum cum ceteris illi communis intemperies, Inflammatio, abscessus, contusio, catarrhus, motus depravatio, vulnus: proprii vero insania, scotoma, phrenitis, catalepsis, lethargus et apoplexia, aeque ab ea causa, et symptomatum magnitudine discrepans Epilepsia infestat.

Huius causam neque a cerebri compatientis siccitate (quod cito fiat et solvatur) neque a partis similaris aut organicae intemperie grassari, a stomacho cum nausea, ab hepate cum dextri, a liene cum sinistri hypochondrii gravedine, tensione ad cerebrum vapor oboriens indicio est. Eius materia contumax et frigida, in cerebro (vel plurimum) genita, illius anteriores, quam posteriores ventriculos magis infarciens, qualitate gravius, quam mole exasperans, in nervorum radicibus exprimitur, crebra et inaequali cerebri concussione: qua dissiti spirituum animalium lapsus praepediuntur, variarum sensui et motui dicatarum obstructione.

Praecipitem huius praeparationem, oblivio, capitis dolor, sopor gravis, timor, linguae citrinitas, eiusque subiectarum venarum viriditas vel ab immodica [illegible] repletione, humorum vel resolutorum fatore, cor et cerebrum gravante, incubus minatur. Irrumpentem vero insultu haec (vel plerumque [illegible]) [illegible] cum vasorum distentione incurvatio, capitis omnimoda provolutio, oculorum, faciei maeroris indicium distortio, vox suffocationis nuncia, pulsus convulsivus, vehemens et inordinatus. Spuma vero ad os, et mucus ad nares inundans, mitiora symptomata facta posthabent, una cum seminis, faecum et urinae involuntaria profusione.

Quae inter caros et apoplexiam velut media, fere in laudabili valetudine desinit, vere quam autumno, pueris quam senibus, mulieribus quam viris, austrino quam Aquilonio caelo magis familiaris: aliquando mitior nonnunquam gravior, semper tamen cum omnium corporis partium convulsione non quidem perpetua (vel in spasmo), sed per circuitus repetitus, una cum mentis ac sensuum oblaesione.

Febris cuius victus humidus omni aetati convulsis depulso, omne catharticorum genus respuens, lentum ac viscidum humorem accessionis Epilepticae materiam non aversatur, sed propter caloris virtute attenuat ac dissipat: vigore (qui non vero principium et non pars) a cerebro superflua discutit, siccitate humiditatis ablumit. Quae omnia licet attenuante diaeta, loci ac aetatis mutatione, calido et sicco aere, phlebotomia, cucurbitulis, ecphracticis, cholagogis, melanagogis, phlegmagogis, [illegible] vino sed humectantibus omnibus (cholericae affectioni et tabidis convenientibus) remotis, sedulo efficiantur, quartana tamen superveniens cunctando melancholiam curatu difficillimam commodissime sanat.

Ergo Epilepsiae febris superveniens Curatio.

Deffendebat Philibertus Gilles Nucianus, anno Domini 1673.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE